



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Sis aßiduus in lectione, consolatione & doctrina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

I. EPISTOLA AD

loribus, non querere iniusta auxilia, sed expectare
re auxilium Dei, & tua consolatione alij erudi-
antur & confirmentur, Sicut Ieremias regis
consolatur sua fide Ecclesiam sui temporis.

Nominatim & castitatem addit, quæ est ma-
re omnes prohibitas commixtiones, & necessa-
uirtus est, iuxta hoc dictum 1. Corin: 6. Non
errare, Scortatores & adulteri non possidebunt
regnum Dei, & fiunt domicilia Diabolorum, qui
se polluunt prohibitis commixtionibus.

*Sis assiduus in lectione, conso-
latione & doctrina.*

Propter multas causas hoc dictum fami-
simè notum sit omnibus, Primum, quia studi-
terarum approbat, cum ait, Sis assiduus in
ne quam ad rem opus est multiplici cogni-
linguarum et artium, Cum igitur scis præcep-
esse, ut legas sacros libros, intelligis Deo præ-
hos labores docendi & discendi, & potes
petere & sperare auxilium, & in omnibus
culis & aduersitatibus habes præcipuam
lationem, iuxta illa dicta Psalmo 36. Con-
Deo uiam tuam & spera in eum, & ipse
Item 1. Corinth: 15. Labor uester non erit
in Domino.

Vniuersaliter enim regula tenenda est

mum sciri oportere an labor aut genus uitae placeat Deo, iuxta illud Roman 14. Quidquid non est ex fide, peccatum est. Deinde nemo potest inuocare Deum, petere aut expectare auxilium in negotio quod Deus improbat iuxta illud Psalmo 5. Non Deus uolens impietatem tu es. Est igitur sententia, Commenda Deo uiam tuam, id est, uocationem, militiam, laborem, uitae genus ab ipso approbatum.

Monet etiam Paulus hic Ecclesiam alligatam esse ad certos libros, sicut saepe alias praecipitur de doctrina Prophetica & Apostolica, ut Esaias inquit cap. 8. Ad Legem & ad testimonia. Necessesse est igitur reijci doctrinas & illuminationes pugnantes cum his libris. Item opiniones & cultus extra hos libros. Tertio mandat priuatam & publicam lectionem, & ostendit morem in Ecclesijs fuisse ordine Propheticos libros legere, sicut & in Synagogis fuit usitatum, et Moyses praecipit Leuitis Deut; 31. Lectionem integre Legis ideo Malach; 2. dicitur, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requiram ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Et Osee 4. denunciatur poena negligentibus, Quia repulisti scientiam repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.

Haec dicta & similia sint infixae pectoribus, ut nos ad diligentiam in discendo, docendo, & legendo

I. EPISTOLA AD

do exsuscitent. Accedat autem precatio, ut Deus mentes nostras regat, ut dicta diuina proprie accipiamus, Sicut Propheta orat Psal: 118. Fac cor seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me, Et Esaias orat, ut reueatur in aliquibus auditoribus ueritas Isaiæ. *Obsigna Legem in discipulis meis.*

Est et collatio cum alijs necessaria, Sicut scriptum est Luca 22. Et tu conuersus confirma fratres tuos, Et Samson inquit Iud: 14. Nisi arastis mea uitula, non inuenissetis, id est, nisi essetis ad iuti labore Ecclesie, Audiamus igitur Apostolos & custodes doctrine Apostolicæ.

Consideremus etiam qui à doctrina Apostolica quomodo discesserint. In alijs prorsus Diabolica audacia totam Ecclesie doctrinam mutauit & horrendos furores sparsit, ut in Marcione Manichæis & similibus. In alijs superstitio iniecit animos ad nouos cultus.

Hæc tota consideratio ad lectionem pertinet in qua uniuersæ Ecclesie series & omnium temporum historie cognoscendæ sunt.

Obseruanda est autem breuis distributio horum generum, lectionis, doctrine & consuetudinis. Cur à lectione orditur? Quia magna difficultudo est Philosophiæ & Euangelij. Arithmeticam non incipimus à lectione, sed afferimus

multas noticias, quæ sunt uia ad artem, Deus autem sua uoce edidit arcanam doctrinã de filio, et de redemptione et tota restitutione generis humani, iuxta hanc suam reuelationem uult agnosci & hanc scribi uoluit per Prophetas & Apostolos. Ideo ad horum librorum lectionem alligata est Ecclesia, & hi libri sunt fundamentum & norma uniuerse doctrinæ in Ecclesia, iuxta illud 1. Cor. 3. Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Necessè est igitur assiduè legi hæc scripta priuatim & publicè.

Lectionem sequatur doctrina, ut in medicatione corporis finis est sanatio, Et ars medica continet duas partes, doctrinam & modum curandi. Doctrina uerò ostendit naturam corporis humani, qualitates, temperamenta, causas morborum, remedia. Postea modus curandi applicat remedia. Ac medici sapientia est intelligere, quæ ad suam artem pertinent, & consilia dirigere ad sanationem tanquam ad ultimum & principalem finem. Ita sciat concionator se medici similem esse, & finem ministerij Euangelici ultimum esse sanationem, qua per filium Dei uoce Euangelij liberentur homines ex morte æternæ. Non enim tantum regit mores, ut magistratus politicus.

K 4 Sunt

I. EPISTOLA AD

Sunt igitur & hic duo membra doctrinae & consolatio, Doctrina loquitur de articulis fidei, discernit Legem & Euangelium, recitat descriptionem peccati, usum Sacramentorum, discrimen iusticiae aeternae & uitae politicae. Sed necessarium est accedere consolationem tanquam sanationem, ne homo relinquatur in peccato & morte aeterna.

Estque doctrina hoc ipsum quod uisitate nominamus Catechesin, id est, summa dogmatum recitans articulos fidei, descriptionem peccati, discrimen Legis et Euangelij, usum Sacramentorum, discrimen iusticiae aeternae & uitae politicae, sumpta ex ipsa uoce diuina quae prius legitur, et haec ipsa Catechesis est interpretatio lectionis seu longa seu breuis, Cum enim in discendo necesse sit integrum corpus doctrinae mente complecti, rudimentibus tradenda sunt ordine breues summae principalium locorum, et postea in ipsa lectione monstranda sunt firma testimonia, ut fides nitatur uoce diuina.

Hoc consilio primum condita sunt Symbola & scripti Catechismi, Quamquam enim propria eadem sonat lectio & ipsi libri Prophetici & Apostolici fons sunt doctrinae, Tamen ideo tantum praeleguntur libri in Ecclesia à puero. Sed etiam accedit uox interpretis ut rudimenta enarrat.

enarrent genus sermonis, ostendant capita rerum de quibus dicitur, illustrent ea definitionibus & distinctionibus, Sicut in docendo fieri necesse est. Et fiant hæc sine Sophistica, sed rectè iuxta artium vias, Nec misceantur peregrinæ materiæ.

Cùm igitur opus sit forma aliqua in docendo iubet Paulus eligi Episcopum idoneum ad docendum. Hanc formam hic doctrinam nominat, quæ est Catechesis seu brevis seu longa, Quæ quidem & ipsa librorum sacrorum interpretatio est, Quia inde sumenda est Catechesis & testimonia ibi monstranda sunt.

Tertium membrum consolatio est, Quia non satis est recitare capita doctrinæ nisi ostendatur applicatio, Intelligat concionator officij sui gradus, legat populo ordine libros Propheticos & Apostolicos, subinde & corpus ueræ doctrinæ proponat, ut auditores summam rectè complecti possint, sicut in Catechesi traditur, Nec sit concio sine affectibus, sed commemoratio de ira Dei, excuset timorem, nec tamen relinquatur mentes in pauore & dubitatione, ut poëtarum Tragœdiæ tantum poenas ostendunt, sed accedat consolatio ex uoce Euangelij, commonefiant auditores, ut sibi fide applicent promissiones æternas & presentium bonorum, & exerceant fidem, spem,

K 5 inuoca-

I. EPISTOLA AD

Inuocationem, gratiarum actionem, & ceteras
uirtutes.

Ita tertius hic gradus propriè de applicatione
Euangelij loquitur, qua fit liberatio à peccato et à
morte aeterna, et leniuntur dolores in hac uita, cogi-
tatione bonitatis Dei, fide, & spe auxilij diuini. Cum
igitur distributio Paulina sapientissimè ostendat
partes officij concionatoris, fidelis concionator
hanc normam sequatur, sit lector fidelis sacro-
rum librorum, & meminerit omnes pugnantes
opinionem cum sacris libris reiiciendas esse, De-
inde integrum corpus doctrinae ordine proponat,
& addat testimonia sine sophistica. Postremo
& applicationem ostendat, ut crescant
timor Dei, poenitentia, fides, inuo-
catio, spes & aliae uirtutes,
et fiat inchoatio ui-
tae aeternae.

CAPIT